

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Bartholin

**Casp. Bartholini De Terra, Aere Et Igni Institutio Physica succincta : Cum
praemißâ elementorum theoriâ generali**

Rostock: Rostock: Hallervordeus: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730118207>

Druck Freier  Zugang



78. 13.

Oa-3046¹-~~5~~





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730118207/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730118207/phys_0004)

DFG

CASP. BARTHOLINI
DE
TERRA, AERE
ET IGNI
Institutio Physica
succincta:
*Cum præmissâ elemento-
rum theoriâ generali.*

M. DC.

XIX



ROSTOCKI
Typis Joachimi Pedani, apud
Joh. Halletvordeum Bibliop.



Nobilitate, eruditione,
virtutum comitatu eminen-
tissimo viro s,

Dn. STENONI BILDE
Domino de Bildesholm &c.
ULTISSI DANICO.

E. T.

Rerum naturalium indaga-
tori indefesso

Domino & favitori cer-
tissimo animi grati testan-
di causa

D. D. D.

C. BARTHOLINUS

CAP. I.

De corpore simplici in genere.

 **O**Rpus simplex est quod in se unicum motus naturalis simplicis principium habet.

Dicitur simplex: non quod ex materia & formâ non constet (est enim corpus naturale) sed quod non ex alijs specieb. corporis naturalis sit compositum; in quas dissolvatur.

Differentia desumuntur ex motu, præcipuâ affectione corporis naturalis: quâ ignorantâ, ignoratur natura: Illa enim rebus naturalibus communiter, ut vita quadam inest; sicut habet Plato lib. 10. de legibus.

Dicitur habere unicum principium motus: ut distingatur cor-

A 2.

puss

plus simplex à composito, quod plura
habet principia: & quidem motus
naturalis, vel secundum naturam;
ut excludatur violentus, qui ali-
quando corpori accedit. Exemplum:
Aér purus est corpus simplex con-
stans materiâ & formâ, in nullam
aliam corporis naturalis speciem di-
visibile: Ideo unicum habet motus
naturalis principium, qui est sur-
sum: suâ naturâ enim alio motu
ferri nequit.

Ex hisce duo fluunt axiomata
Aristotelica:

1. Unius corporis simplicis u-
nus tantum est motus secundum
naturam. Nam unam tantum
simplicem formam unus etiam in-
sequitur motus. Alioquin plure
esse possunt motus, sed vel acciden-
tales vel violenti &c.

2. Simplicis corporis unus sim-
plex

plex est motus. 1. Ex definitione,
ob simplicitatem formæ moventis;
nihil enim agit ultra suum gradum.
2. Quia omne corpus simplex pecu-
liari gaudet loco. Si ergo unum ha-
bet locum, ad quem naturâ fertur,
unicum etiam habebit motum per
se, quo ad illum suâ naturâ tendat,
cum motus ad locum accommoda-
tur; vel quo in eo circumvolvatur,
si totâ mole non mutet locum; ut in
corpore circularem motum habente.
3. Alias gravia sursum & levia de-
orsum, item in circulum, lateraliter,
& promiscue agitarentur: quod ab-
surdum & contra experientiam.
4. Praeter Aristotelem comproba-
runt hoc axioma omnes ferè Astro-
nomi: qui pro numero motuum cœ-
lestium, aut orbium, aut circuitorum
saltē multitudinem confinxere.

Causæ. Efficiens est Deus. Ma-

A 3

teria

teria est prima illa, de qua in gene-
rali Physicâ. Forma corporis sim-
plicis est simplex natura & essentia
aliam formam priorem in unione
non agnoscens. Finis est 1. Ut sit
pars universum hoc perficiens. 2.
Ut sit principium mixtorum. Qui
finis speciatim Elementis competit,
ex quibus omnia mixta cōponuntur.

Corpora autem simplicia sunt.
Cœlum cum suis contentis, videli-
cet, astris omnibus; Et Elementa.
Motus enim simplex vel est re-
ctus vel circularis: hic cœlestibus
corporibus competit; ille Elementus:
Est enim vel sursum vel deorsum.
Sursum Elemento levi; deorsum
gravi.

CAP. II.

De Elementis in genere.
Elementa sunt corpora sim-
plicia homogena, ex quibus
mixta

mixta omnia primū compo-
nuntur, & in quæ ultimo resol-
vuntur; ipsa verò in alia corpo-
ra se priora & specie differentia
dividi nequeunt.

Definitum dicitur quasi alimen-
tum ab aliendo: quod omnia, sicut
ex elementis sunt composita, ita ijs-
dem alantur: unde Aristoteles ait:
Ijsdem constamus, quibus nutrimur.
Etenim nascimur ex semine tan-
quam principio propinquο; ex ele-
mentis, tanquam principijs remo-
tioribus. Et hoc loco Elementivox
sumitur pro corpore simplici, quod
mixti compositionem ingreditur, &
in mixto permanet: alias accipitur
sæpiculè 2. Pro quolibet uno indivi-
sibili, ut cum punctum dicitur Ele-
mentum linea, unitas numeri &c.
3. Pro eo quod secundum aliquem
ordinem aliquid componit. Sic literæ

A 4

sunt

sunt Elementa dictionis; lutum, la-
pides & ligna domus fabricandæ. 4.
Pro eo quod secundum situm una
cum alio rem primò constituit. Sic
in figuris Geometricis lineæ dicun-
tur elementa. 5. Pro primis cujus-
libet artis principijs, præceptis &
axiomatibus. Sic præcepta vel ru-
dimenta Grammatica &c. vocamus
elementa. 6. Pro corporum natura-
lium principijs primis, de quibus in
generali Physica; quæ Aristoteles
aliquoties elementa vocat. 7. Spe-
cialius ab eodem nonnunquam pro
cœlo, ob hujus simplicitatem, & offi-
cium quo una cum reliquis elemen-
tis ad integralem mundi constitu-
tionem concurrit; ut sit elementum
non mixti, sed mundi. Dicitur au-
tem cœlum primum elementum, ob
dignitatem & situm: item quintum
elementum respectu reliquorum

qua-

quatuor existimatorum. 8. Pro partibus respectivè simplicibus : ut cum humores , partes similares &c. Id cunctur elementa.

Porro dari elementa, patet non tantum vulgi testimonio , nomen elementi crebro usurpantis, & Philosophorum autoritate ; sed etiam ratione : datur enim motus simplex rectus ; dabitur ergo etiam subiectum hujus accidentis primum , vel delicit simplex corpus vel elementum.

Definitionem quod attinet , est ea ex geminâ Aristotelis conflata. Unam etenim ad fert ratione resolutionis & divisionis , quod elementum sit corpus simplex , in quod , cum insit , corpora dissolvuntur ; ipsum autem in alia specie differentia non resolvitur. Alteram respectu compositionis ita format , ut elementum sit id ex quo compo-

A 5

nitur

nitur aliquid, inexistens, specie
indivisible in aliam speciem.

Galen est minima pars (*id*
est, simplicissima, ut in alias specie
diversas dividi nequeat) ejus (*vi-*
delicet mixti) cuius est elemen-
tum. Atq; hinc dicuntur elementa.
I. Corpora, quia constant ex ma-
teria & forma, at non ex alijs cor-
poribus: ideo simplicia; & homo-
genea. v. g. quælibet pars aqua
est aqua: at non ita in planta, ani-
mali &c Sublunaria etiam hæc
sunt corpora, ut differant à cœlesti-
bus. Ex quibus mixta omnia
componuntur: ut patet inductio-
ne, v. g. Gen. 3. dicitur homo è ter-
ra desumptus: hæc autem sine aqua
tanquam glutine non cohæret; &
nisi aërea accederet natura, esset pu-
ra gravitatis, nullius autem levita-
tis; purè frigiditatis, nullius caloris:
atqui

at qui generatio fit ex contrarijs. Et cum omnia eò redeant, unde pri-
mum orta fuere: utiq; mixta ex ele-
mentis sunt composita, cùm in ele-
menta tandem resolvantur & a-
beant: ut liquet e.g. in carne, quæ
cùm putreficit, non abit in nihilum,
sed in terram, aquam &c. Hac au-
tem elementa sì amplius dividas;
non in alia corpora, sed corporum
principia materiam & formam re-
solves: quæ sola ratione in elemento
sunt separabilia.

Atq; hinc liquet: elementa non
esse tantum matrices, loca, domici-
lia & receptacula mixtorum, ut
Paracelsi autumant; sed etiam
eorum principia & materiam.

Elementa ab Hippocrate, Pla-
tonе Aristotle, immò antiquis pa-
riter & recentioribus communiter
statuuntur. 4. Ignis (quem imme-

A 6 diatè

diate ponunt sub cælo vel orbe Lune
aer, aqua, terra. Etenim qui
vel infinita posuerunt elementa (ut
Anaxagores) vel unum (ut Thales),
vel duo (ut Empedocles) sufficien-
ter ab Aristotele sunt refutati. Non
sunt infinita. Nam 1. Mixta ex ijs
concreta sunt finita. 2. Habent loca
finita. 3. Motus simplices non sunt
infiniti. Nec unum tantum. Nam
1. Eset tantum unus simplex motus.
2. Cum elementa inter se alterentur
& transmutentur, fiatque alteratio
inter qualitates contrarias; Non
erunt haec in uno subjecto, nisi hoc
seipsum destrueret. 3. Ratio est
Hippocratis: Si homo vel aliud cor-
pus mixtum constaret unico elemen-
to, non doloret: in dolore enim est
alteratio, quae fit a contrario. Quod
tamen non satis commodè colligit
Hippocrates: non enim ob contraria
elemen-

elementa sunt sensus & dolor ; sed
ob animam. Ut ergo in elementis
non est vis sentiendi vel dolendi , sic
eadem nullum sensum generant.

Quaternarium verò numerum
ita probant. 1. Plato & Aristoteles
hoc modo : Quia motus simplicis re-
cti , sunt quatuor differentiae ; ideo
tot corpora simplicia vel elementa
tanquam propria subjecta motus
constituant : ut motus simplex sim-
pliciter sursum competit igni sim-
pliciter levi ; motus simpliciter de-
orsum , terrae simpliciter gravi ; mo-
tus secundum quid sursum , aëri se-
cundum quid levi ; secundum quid
deorsum , aquæ. 2. Quia quatuor
mundi spacia cælo comprehensa (vi-
delicetimum, summum, proximum
summo & proximum imo) totidem
elementis repleri secundum quanti-
tatem volunt. 3. Mixta omnia con-

A 7 stare

flare ex 4. elementis confirmant; eo
quod concessis ab omnibus aquâ &
terra, mutuaq; actione & passione
contrariorum beneficio, non videa-
tur unum calidum resistere posse
duobus frigidis. 4. Ex conjugatione
4 primarum qualitatum: ut ignis
sit calidus & siccus, aër calidus &
humidus, aqua frigida & humida,
terra frigida & siccata. 5. Similitudi-
ne ex 4 humorib. & 4 temperamentis.

At infirmitatem harum rationum
quis non videt? Caterum si ignis
sumatur pro supraem aëris regione
puriore, subtiliore, calidiore, exha-
lationibus experte, concedemus da-
ri, sed non ut elementum diversum
& diversæ naturæ ab aëre. Quod
si verò ignis accipiatur, ut commu-
niter fit, pro diverso elemento ab aë-
re, multis modis aëre ut calidiore,
ita etiam tenuiore & subtiliore; non
est

est verisimile tale aliquod elementum ignis dari; nec rationes supra allata certò aliquid concludunt. Atq[ue] ita probabilior fiet elementorum numerus ternarius. In qua sententiâ ignem ab elementorum numero excludente plurimi fuere veteres, testibus Aristotele lib. 3. de cælo, & Augustino lib. 2. de Gen. ad lit. atq[ue] hic de ijs testatur, quod nullum ignem supra aërem reposuerint præter cælestem (in quâ significacione, cùm ignis pro cælo capitur, uti sepius apud Philosophos occurrit; ignem concedemus. Nemo enim Elementum dixerit aut corpus simplex ignem illum qui alias est corpus mixtum accensum & summâ caliditate præditum, urentem in materia densiore, ut sunt culinaris & subterraneus; neq[ue] calorem aliquem intensissimum, qui ignis dicitur,

cum

cum corpus ignitum dicatur subje-
ctum talem qualitatem propagatio-
ne, coitione, attritione &c. natam
recipiens, sive sit aër, sive lignum,
sive metallum) quos secuti sunt
Laurentius Valla, Hieronymus Car-
danus, Franciscus Patricius & alij:
imò nonnihil idem tetigisse viden-
tur Hippocrates & Aristoteles :
cum ille libro de flatibus dicat to-
tum spacium quod inter cælum &
terrā diffunditur, spiritu plenum
esse seu aëre : hic, i. Meteor. c. 3. do-
ceat supra aquam esse aërem, & id,
quod quamvis ignem consuevimus
appellare, ignem tamen haud qua-
quam esse.

At q̄ ita ternarius elementorum
numeris igne excluso. 1. autoritati-
bus videtur stabilita. 2. Nusquam
in scriptura, præsertim initio Gene-
seos, ubi omnia creata describuntur,
clemen-

elementi ignis mentio injicitur. 3.
Argumentum firmissimum est Opti-
cum, quod allatum centra cœli vel
orbium duritiem & densitatem ex
refractionum pluralitate. Etenim
igneum elementum tenuitate &
subtilitate vel à cœlo, vel ab aëre
supremo differret, uti statuunt ejus
autores (dicunt enim ignem aëre
decupla esse rariorem,) nova, ratio-
ne ignis, orietur stellarum refractio
adeoq; loci veri ignoratio. At hoc
est contra experientiam. Ergo &
illud 4. Natura in præcipuis vide-
tur ternarium potissimum amasse
numerum. Nam ut nihil dicamus
de supernaturali mysterio trinitatis,
quod nil ad naturam: in sexu est
trinitas: mas, fæmina, & herma-
phroditus; principia prima rerum
naturalium sunt tria, de quibus in
Physica generali; Sensibilia princi-

pia

pia itidem tria, sal, sulphur, & Mercurius; partes principes in homine tres sunt: Spiritus triplices: animalis, vitalis & naturalis; uti tres eorum canales vel vasa, nervus, arteria & vena. Humores vel substantiae in sanguine tres, sicut in lacte: aeri respondet pars butyrosa lactis & biliosa sanguinis; aquæ serosa lactis, & serosa sanguinis; terra caseosa lactis, & bilis crassior sanguinis. Sanguinem enim ut peculiarem quidem humorum afferunt; at est coagentatio trium humorum, nec quid diversum: uti & præter tria temperamenta, quartum sanguineum quod constituunt, est moderatum quoad quantitatem & qualitatem trium humorum coagulum, nullo ex his excedente.

Cardani argumenta contra elementum ignis, nullius ponderis sunt:

ut,

ut, quod non videatur; cum nec aer
videatur, nec ignis ille quo assantur
carnes in veribus & tandem com-
buruntur (non enim tanguntur ab
igne quem videmus, sed aere atte-
nuato vel ignito) item, quod cælum
combureret; combustio enim fit in
densa materia (unde flamma stipu-
la minus urit quam carbo, & carbo
minus quam ferrum candens) nec
corpus aduritur nisi unctionis capax.
Et longe minoris momenti sunt, que
deducit ex carentia lucis & pabuli,
cum talia in igne tantum densiore
v.g. culinari requirantur.

Atq[ue] ita tolli possunt plurimæ di-
sceptationes de ignis elementaris mo-
tu in orbem, figura &c. Quomo-
brem nominaturi elementum ignis,
intelligemus partem aeris superio-
rem & puriorem, non autem distin-
ctum ab aere elementum; quamvis
& se-

& sapisculè ex hypothesi & consuetudine de Elemento ignis sermo
haberi potest, ac si daretur.

Efficiens elementorum omnium
est Deus, qui fecit cælum & terram.

Materia est prima illa, qua in-
differenter se habet ad quodlibet ele-
mentum.

Finis est 1. Ut sint partes una cum
cælo hoc universum perficientes, &
primarum qualitatū subjecta. 2. Ut
sint materiae mixtorum. 3. Ut omnis
generis mutationes in mixtis efficiat

Forma est interna quadam na-
tura, affectionum in elemētis causa.
Hac cum lateat, ut in omnibus fer-
mè; per qualitates suas quodvis ele-
mentum describitur: quarum bene-
ficio agunt & patiuntur elementa.
Unde nonnulli præsertim Graci Ari-
stotelis interpres, ut Alexander
Aphrodisaeus, Themistius, Johannes
Gram-

Grammaticus, Simplicius, & alij,
quos defendit hodie Casar Cremo-
ninus, Philosophus Patavinus pri-
marius; putarunt qualitates primas
esse ipsas formas elementorum &
differentias substantiales immedia-
te materiae primae adjunctas ad ea
constituenda. At falluntur. Nam
1. Qualitates elementorum incur-
runt in sensu. 2. Sunt accidentia.
3. Recipiunt magis & minus. 4. Sunt
termini alterationum per se. 5. Ele-
mentum habens plures qualitates,
haberet plures etiam formas, quod
~~est~~

Dicitamen impropriè possunt for-
mæ, differētiae essentiales &c. quate-
nus formas nobis ignotas demōstrāt:
item quia harum beneficio elementa
sunt mixtorū principia. Unde Aristó-
teles vocat qualitates, aliquando ele-
menta, aliquando formas elemento-
rum

rum & principia constitutiva, ali-
quando quasi formas &c.

Affectio[n]es & accidentia ele-
mentorum in genere sunt:

I. Impuritas. Elementa maxi-
mam partem esse impura & non nihil
mixta testatur experientia. In terra
enim humidum aqueum appetet;
absq[ue] quo non coheret terra: atq[ue] in
profundo etiam terra metalla & vi-
scosa materie eruuntur. In aqua
terrestres partes arguit sapor. Ae-
rem impurum testantur vapores ad-
mixti & qualitates peregrinae qua-
illum jam frigidorem, jam calidio-
rem; modò sicciorum, modò humidio-
rē, quam pro sua natura est, efficiunt.

Causa autem; cur Deus non reli-
querit ita pura elementa; fuit, ut
consuleret nostro bono. Aqua enim
pura esset insipida & potui inepta;
terra pura non daret humorem fru-
gibus

gibus &c. In summa: puro elemen-
to nihil nutriri aut nasci potest.

Quod si quid puritatis in elemētis;
fuerit illud fortè in terra circa cen-
trum, & in aeris superiorib. partibus.

Interim ut ut non reperiatur pu-
rum aliquod elementum; mente ta-
men quodlibet in tali natura com-
prehendi potest. Alij sufficere pu-
tant, ut elementum purum dicatur,
quia constat ex materia & forma
elementari, & quia tot ita mixtum
aut impurum est ut compositum ali-
quod corpus; sed tantum aliquid
contagionis agnoscit.

II. Figura, quæ circulāris: nam
cælum ea ambiens est circulare;
item terra circa quam sunt posita;
natura item in potissimum rotundita-
tis amans est, aut quasi rotunditatis.
Ratione ergo continētis figuram ele-
menta habent circularem aut proxi-

mē

mē ad hanc accēdentem. Unde aqua
ad figuram vasis variē figuratur, &
terrā etiam pars aliqua in diversas
formas singi potest. Hinc Philosophus
elementa figuram habere ait non ex
forma substātiali fluentē; cūm alias
corrūperentur, si figurā amitterent.
III. Quantitas finita; cum certa
figura sint.

IV. Proportio raritatis & den-
situdinis secundum Aristotelem lib. 2.
de generat. & cor. c. 6. est: ut ex
una parte terrae fiant decem aqua,
centum aeris; mille ignis; atq[ue] ita
raritate quodvis superius elemen-
tum vincat inferius decies, ac si ex
unā particulā v.g. terrae extenua-
tā, per resolutionem fieri possint de-
cem portiones aquae: & sic deinceps.
Hinc falsò quidam inferunt, aquam
terram esse decies majorem; aerem
aqua decies majorem, terrā vero
centies

centies; ignemq; terrâ millies ma-
jorem: quæ omnia falsa.

V. Qualitates duplices: motri-
ces & alteratrices; ob duplex ele-
mentorum officium. Alteratrices
sunt: caliditas, humiditas, frigi-
ditas, & siccitas; quæ faciunt ut
elementa sint materia mixtorum:
cùm in mistione, requirantur actio
& passio; atq; in his contrarietas:
Contrarietas autem in elementis ra-
tione harum qualitatum deprehen-
ditur. Unde apud Philosophum ele-
menta dicuntur sibi invicem esse
contraria. Motrices qualitates
sunt: gravitas & levitas, quarum
beneficio elementa convenientia lo-
ca in mundo occupant, atq; ad inte-
gralem systematis mundani consti-
tutionem faciunt.

Hæ verò motrices qualitates actu
primo semper sunt in elementis etiam

B

in

in proprijs suis locis; at in hisce non
actu secundo, hoc est, in locis proprijs
non gravitant. aut levitant: v.g.
lignum 100. librarum in aqua non
descendit, sicuti plumbi tantum una
libra. Levitas enim aëris in ligno,
lignum tenet ne deorsum labatur;
non autem plumbum: quippe in quo
minimum est levitatis. At idem
lignum velocius per aciem descen-
det quam plumbum: nam gravitate
terrae & aquæ excedit plumbum,
nec descendens retardat levitas aë-
rea: quippe quæ in loco suo natura-
li non levitat.

VI. Generatio & corruptio se-
cundum partes, mutuaq; trans-
mutatio. Elementa esse generabilia
& corruptibilia liquet 1. Ratione,
cum inßtar aliorum corporum ab aliis
dependeant; & ex materia prima
consint. 2. Experientia. Videmus

enim

enim aquam resolvi in aërem, aërem
in aquam condensari. At hoc stan-
te mundo non generantur & intere-
unt tota elementa, sed partes tan-
tum. Quia vero non datur corpus
elementis prius, ideo ex se invicem
generantur, & in se mutuo abeunt.
Et docet Aristoteles oportere ele-
mentorum transmutationem circu-
larem ac perpetuam esse, ut conser-
vetur rerum universitas.

Facilior autem & citior est trans-
mutatio elementorum symbolizan-
tium, id est, qua altera qualitate
conveniunt; cum ibi una tantum
mutetur qualitas. Sic ex aëre facilè
fit ignis: conveniunt enim hæc duo
caliditate. Et facilimè in se trans-
mutantur qua conveniunt qualita-
tibus passivis; tūm enim agentia in
se invicem fortius agunt.

Difficilior est eorum transmutatio

B. 2.

qua:

que nullâ convenientia qualitate,
ideoq; prius per intermedium ele-
mentum ad alterum transitus requi-
ritur. Et fit hac mutatio in elemen-
tis per ipsam actionem mutuam ele-
mentorum, non autem necessario
proximè ex agente quodam tertio,
elemento videlicet tali, quale ex
duobus contrarijs generari debet:
quod est contra Mercenarium à Za-
barella refutatum.

Est autem elementorum trans-
mutatio solitaria vel socia. Illa, quan-
do ex uno elemento fit alterum. Hec,
quando ex duobus fit tertium. Illa
verò duo elementa debent esse con-
traria secundum utramq; qualita-
tem & corrumpi debet utriusq; qua-
litas. Sic ex igne & aquâ inter se
junctis (ut cum igni aqua superfun-
ditur) fit aér, abolita aquâ frigidi-
tate. Ex duobus autem elementis
una

unâ saltim qualitate pugnantibus,
ut ex aëre & aquâ, non generatur
tertium elementum: quia non satis
validè unum in alterum agit.

VII. Motus rectus sursum vel
deorsum: quem habent non à cælo
aut aliquo principio externo, sed à
propria iusta natura.

Et hactenus in genere de elementis
sequitur specialis eorundē tractatio.

CAPUT. III.

De Terra.

TERRA est elementum frigidis-
simum, siccissimum, gravif-
simum.

Definitum alijs à terendo, alijs à
teretudine seu rotunditate dictum,
hic in ea accipitur significatione,
quâ denotat totum terræ orbem. A-
lijs significationes hoc loco alieniores
sunt, ut cum 2. dicitur terra Dani-
ca, Italica &c. adeoq; regio aliqua

B 3 parti-

particularis ipsius terra designatur.
Vel 3. pro terra aliqua medicata sumitur, ut Lemnia, Armeniaca vel
bolo Armeno, Silesiaca &c. 4. Vel
pro rebus terrenis, cogitationibus
terrestribus & carnalibus &c. 5.
Pro contento. Ut Gen. 6. Corru-
pta erat terra coram Deo. Sic Gen.
41. & Num. 33. 6. Pro orto aliquo
ex terra. Ut Gen. 3. Terra es & in
terram reverteris. 7. Pro beatitudi-
ne sequitur, & dicitur terra nova,
terra viventium &c. Ut Esa. 66.
2. Pet. 3. Apoc. 21. Psal. 27. & 116.

Describitur per qualitates; qua
postmodum inter affectiones expli-
candæ.

Cause ex generali de elementis
capite petantur.

Finis vero specialior terra est,
ut sit sedes ac domicilium minera-
lium & metallorum, plantarum
ani-

animalium & hominum; atque pro
hominis sustentatione omnia suppe-
ditet. Hinc Ethnici vocarunt ter-
ram 1. Bonam; quod omnia ad vi-
ctum bona ferat. 2. Faunam: quod
omnium animantium usui faveat.
3. Opem: quod ejus operes vivant
& vegetentur. 4. Matrem magnam:
quod germina, plantae &c. ex ea ceu
matre nascantur, quod nos nascentes
excipiatur, natos alat, denatos ut
mater operiat & in gremio quasi fo-
veat. Adde ex sacris literis homi-
nem terram esse, ex terra desumptum,
& in terram reversurum.

Ex eo vero quod terra sit mater,
matrix, vel domicilium rerum vi-
ventium, ipsisq; uimentum submini-
stret, non magis sequitur terram vi-
vum corpus esse; quam ex eo, quod
homo rationalis est, locum ejus, ci-
bum ejus, &c. esse rationalem. Quod

B. 4

contra

contra Paracelsicos, Danœum &
alios notandum.

Divisionem terra, ut est purum
elementum, non recipit. Ut vero
impura est, dividi potest. 1. Ra-
tione qualitatum in rariorem vel
densiorem, mollem vel duram, ni-
gram vel alius coloris, lutum vel
argillam &c. Caterum de terris va-
rijs uti & de mineralibus, metallis,
lapidibus &c. libro peculiari Phys-
ico acturi sumus. 2. Ratione situs
dividitur in Europam, Asiam &c.
quaæ divisio in Geographicis à nobis
enucleanda.

Affectiones & accidentia sunt:
1. Frigiditas. Terram autem natu-
râ frigidam esse liquet. 1. Quia à
fonte caloris videlicet corporibus
cœlestibus est remotissima. 2. Cau-
sam alij addunt ex immobilitate:
quod argumentum tamen non satis
firmum

firmum existimamus: cùm multas
non mota sint calida, & multa mota,
ut aqua forti quodam impetu flu-
ens, frigescant. 3. Quod terra ex sua
natura sit frigida, testatur experien-
tia. Partes enim terræ profundiores,
sentiuntur frigidiores. Super-
ficiariæ vero & summae, quo usq; ra-
dix solares pertingunt & penetrant,
incalescunt manifestius, in gratiam
rērum nascientium. Præterea licet
terra alicubi sit calidior, imò ali-
quando ignes evomat, & aquas fer-
ventes ob admixtionem calidorum
corporum, item pinguium, bitumi-
nosorum, sulphureorum, &c. inte-
rim in se & sua natura frigida est.
Neq; enim ideo aqua natura calida
est, quia ad ignem apposita incale-
scit. Falluntur ergo Patritius, Gocle-
nius, Cosmannus & alij, Aristote-
lem exigitantes, quod terram fri-

B. S.

gidam

gidam statuerit, nescire res verò di-
scrimen inter illa quæ per se vel ex
accidenti fiunt. Causa enim efficiens
et principium caloris præternatu-
ralis in terra atq; ignis subterranei
est calor cœlestis in terræ visceribus
excitans calidas & siccas exhalatio-
nes, quæ motæ & exitum non inve-
nientes, incalescunt, & materiam,
aptam nocte in ignem abeunt; qui
in terra motu nonnumquam erum-
pit, & vicina loca cineribus operit.
Cause juvantes sunt 1. calor asti-
vus alicubi in terræ cavernis deten-
tus & ab accidente hyemis frigore
obfessus, ne egrediatur, sed intu-
manens augeatur. 2. Aquæ item
terræ cavernas obfidentes, & ita per
resistentiam calorem internum redi-
dentes fortiorem.

Terram verò esse aquâ frigidio-
rem suâ natura, adeoq; esse primum
frigi-

frigidum (contra eos qui vel aërem
vel aquam pro primo frigido saluta-
runt) patet. 1. Ex prima ratione su-
pra pro frigiditate allata. 2. Quia
aqua citius calescit quam terra,
ideoq; minùs calori potest resistere.
3. Terra aut nunquam aut vix per-
uritur. 4. Quod profundior puteus,
eo frigidorem aquam reddit. 5. Ter-
rae injectu præcipue ignis restringui-
tur. 6. Quod maximè est concretum,
grave, densum, stabile &c. Illud est
frigidissimum, ut ex frigoris effectis
& proprijs liquet. 7. Sicut ejusdem
est lumen & calor: ita quod in na-
tura principem tenebrarum vendi-
cat locum, idem quoq; frigiditatis.

Aqua autem actu citius frige-
facit, quam terra, non perse, aut
quod frigidior sit: Sed quia rarita-
tis majoris beneficio facilius & po-
tentius penetrat, frigusq; suum dif-
fundit.

B 6

II.Sic-

II. Siccitas. Nam 1. Terra suis terminis facillimè continetur, nec difficit. 2. Omnem humorem facile imbibit, cohabet, siffrat, exsiccat per se & quatenus ipsa est sicca. Ignis autem nō tam siccitate siccatur, quam calore, quo humiditatem absunit. 3. Sacra scriptura terram vocat aridā.

Terra autem quia impura est & mixta, quam nos cernimus, prouascentium, humorem continet, non quidem simpliciter ad continuacionem partium (sicca enim elementa sunt corpora adeoq; ex sua natura habent continuitatem) sed partium in mixto compactionem; & quia absq; humiditate terra nobis esset infæcunda. Nisi enim aqua & aër conveniēter terræ admisceantur, ut terræ ingeneretur aliqua pinguedo, nulla est fertilitas. Hinc loca arenosa & sicciora, infæcundiora. Hinc ubi:

ubi sylvæ exuruntur, ex sterilibus
& sylvosis istis campis fertilissimè
oriuntur agri; eò quòd pinguedo ex
arboribus defluens campos fœcundet.

III. Densitas; soliditas, & gra-
vitas. Frigidi enim est densare,
quandoquidem calidi attenuare.
Quo verò quid densius, eò solidius
& gravius: sicuti quo quid rarius,
eo levius. Hanc summam terra gra-
vitatem testatur experientia. Par-
ticula enim terra aquæ immissa,
fundum petit: Imò per cavernam
terra missa deorsum labitur; adeò
ut si tota terra perforari posset dia-
metraliter, & lapillus in foramen
illud conjiceretur, usq; ad medium
vel centrum terra omnino pergeret:
ubi etiam absq; fulcro permaneret s-
tum si ulterius prolaberetur, non
deorsum, sed sursum ferretur. Ea-
dem autem est natura totius homo-

B 71 genei,

genet, quæ partium. Quamobrem si
terra extra locum suum dimoveri
posset, tenderet utique iterum ad lo-
cum suum deorsum, ad instar par-
tium. Præterea: quia ponderater-
ea ad centrum semper tendunt, si
plura simul eo tendant, non move-
buntur secundum lineas parallelas,
sed quorum longius abibunt, eo magis
sibi mutuo appropinquabunt, donec
tandem in centrum, si fieri possit,
concurrant. Quodnam autem è cor-
poribus terreis specie differentibus
gravius aut levius sit, facilè digno-
scitur. Etenim è duobus corporibus
solidis æqualis ponderis, quod majo-
ris est quantitatis, naturâ levius est.
Unde si duas massæ, v. g. aurea &
argentea æqui ponderis in vas ali-
quod ad summa labra aquâ plenum
injiciantur, plus aqua argentea ex-
pellet, quia major. Quo artificio
Archim.

Archimedes coronam auream ar-
gento intus adulteratam, citra ejus
lesionem deprehendit, proportione
aqua diffusa ab immissa corona, &
ab immersis ejusdem ponderis mas-
sis, aurea & argentea.

IV. Situs. Verasimilima est Pla-
tonis & Aristotelis sententia, ter-
ram in medio mundi sitam esse,
& instar centri à calo undique aqua-
liter distare, atq; vi potentiae divinae
sustentari. Unde illud Poetæ :

Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa :
Aere subiecto tam grave pendet onus.

Nam i. In hoc universo sursum ferri
dicitur quod à medio mundi tan-
quam imo vel centro adsuperiores
partes circulum versus tendit : &
vice versa, deorsum fertur quicquid
à superioribus mundi partibus tan-
quam ω ορεία ad medium mundi
tanquam centrum pergit. Quia er-
go ter-

go terra corpus gravissimum est, & natura deorsum fertur ad infimum locum (qui in globo est remotissimum punctum à superficie, vel centrum) si extra locum suum esset vel extra medium mundi, ad illud tanquam locum suum naturalem moveretur, ibi postea quiesceret. At est nunc in loco suo naturali. Ergo in mundi medio. 2. Quia sunt 6. semper signa Zodiaci supra terram, & totidem infra; cælumq; in duas partes aquales nobis semper secatur: & tempus antemeridianum pomeridiano aquale est. 3. Utrumq; luminare in oppositione occupat horizontem.

Minus ergo proba videtur Pythagoræ sententia, qui ignem instar elementi dignissimi in medio mundi tanquam loco digniori repositum voluit: terram vero obscurū astrum esse dixit, & circa ignem volvistit.

tuit: Aristarchus Samius 400. annis
ante Ptolomaeum Solem mundi cen-
trum fecit, circa quod collocat & &
postea & sphæram: Hac omnia ambi-
re facit orbem magnum qui terram
& hanc cum ceteris clementis in-
cludentem Luna sphæram, annuo
motu circumvolvat. Quam senten-
tiam secutus Nicolaus Copernicus
commodè satis phænomena cœlestia
demonstravit. At qua Astronomi
hypotheticè assumunt, nonnunquam
planè falsa, nos in Physicam non sta-
tim admittimus.

V. Figura: Missis aliorum de-
terre figurâ nugis ab ipso Aristotele
& alijs refutatis; dum alij dixere
terrā in infinitum esse radicatam,
alij planam latamq; vel cylindro si-
milem, vel cubo, cono, pyramidi,
tympano; alij cavam instar scaphæ
&c. dicimus terram esse sphæricæ
seu

seu globosæ figuræ, & satis exacte
rotundam secundum omnia (ut ita
boquamus) latera: quod probat 1. Sa-
cra Scriptura, Esa. 40. 22. dicitur:
sedens super globo terræ, id est, sphæ-
ra; vel gyro vel circulo. 2. Omnim
consensus, qui terram vocant orbem
ob rotunditatem. Unde imperatori-
bus & regibus tanquam insigne pre-
fertur pomum rotundum, ut signifi-
cetur eos terræ, quæ rotunda est, do-
minari. 3. Analogia superiorum cor-
porum simplicium. 4. Umbra terræ,
quæ in Eclipsibus rotunda, sed conoi-
dalis. Ortus & occasus stellarum.
Citius orientalibus oriuntur sidera:
initia sunt dierum & noctium in-
diversis locis. Si quis locum mutat
ad latitudinem mundi, aliæ stellæ se-
conspiciendas præbent, alia occul-
tantur. Nec obstat terræ rotundita-
tis aqua. Nam 1. Aqua & terra unum

.CON-

constituunt globum. 2. Aqua etiam
ubi profundissima est, tant & tamen
non est profunditatis, ut rotunditati
terrae multum derogare possit.

Nec obstant terrae rotunditati
exactae, montes & viles. In respe-
ctu enim ad terram sunt instar ri-
mulæ, aut arenae granuli, ad globum
magnum artificialem; cuius figura
tamen exiguo impedimento non mu-
mutatur. Immo rotunditatem non
vitiant: musca rotundo corpori in-
sidens, clavus rotæ infixus, verruca
corpori, futura eminens in pila &c.

Alij respondent terram initio
exactissimè rotundam creatam absq;
montibus &c. adeò ut montes ante
diluvium non fuisse putent, sed tum
primum ex aquarum inundatione
violentæ congestos. At creatos à
Deo montes ab initio mundi an-
te diluvium, patet. Nam 1. Dici-

tur

tur aqua diluvij superasse altissimos
montes, Genesios 7. 20. Et capite 8.
dicitur arca quievisse supra montes
Armeniae, & prima die mensis de-
cimi apparuisse montium cacumina,
&c. Ps. 90. 2. Priusquam montes
nascerentur, & formares terram,
&c. 2. Montes in terra magnum
usum præstant. Dant ortum fontibus
& fluminibus; plantas peculiares
atq; arbores fovent; mari & diver-
sis etiam terræ partibus terminos
constituant: faciunt item ad regio-
num salubritatem, ad ornatum &
aspectum &c.

Interim ex aquarum inundatio-
nibus, terræmotibus &c. aliquando
novos montes novasq; valles exsta-
re, veteres verò collabi & decidere,
experientia ostendit. Unde etiam
diluvium novos aliquos montes pe-
perisse, non est à verò planè alienum.

Immò

Immò nonnunquam ventorum vio-
lentia arenam undique sublatam in
locum unum congerit & montes effi-
cit. Aliquando plures ex hisce cau-
sis junguntur. Talem montem vidi-
mus in Campaniae agro Puteolano,
qui adhuc exstat, continens ambitu
tria milliaria Italica, Italis dictus
mons novus, & mons cinerum.
Anno 38. erupit è terra, præceden-
tibus continuis terramotibus aliquot
dierum, incendio materie sulphureæ,
ejaculationibus cinerum & lapi-
dum, ventis & aëris tanta pertur-
batione, ut tota mundi machina rui-
tura putaretur.

Sic & nova aliquando insulae o-
riuntur, mari subsidente.

VI. Magnitudo. Quantitas to-
tius globi interreni (cum aqua con-
juncti: nam ut in corpore animalis
passim fluit sanguis; ita aqua varijs
in

in terra locis diffusa est) consideratur vel relativè vel absolute.

Relativè vel in respectu cum alijs corporibus videlicet vel elementis, vel astris; vel toto cælo. Cum elementis vel aëre vel aqua. Quomodo ad aërem se habeat, patet ex spatio quod à terra est usq; ad concavum Lunæ. Aquam autem longè superat. 1. Tanquam continens contentum. 2. Multa sunt terræ spatia aquis destituta. 3. Ubi sunt maria, ibi semper terra subjacet; adeò ut maris profunditas (de qua infra) cū terra diametro seu profunditate collata, sit ut guttulae sudoris altitudo comparata cum toto corpore. Ad illas quasvis quomodo se habeat terra, ratione quantitatis, ex ijs que de magnitudine astrorum dicta, claram est. Cum toto cælo collata terra est instar puncti Physici, sine

omne

omne proportione, hoc est, nullum
habet sensibilem quantitatem. Nam
1. Sex signa Zodiaci cum dimidio
cœli nobis semper apparent. 2. Cen-
trum non habet magnitudinem
sensibilem ad circumferentiam. 3.
Alias habitantibus ad occasum stel-
lae orientales viderentur longè mino-
res, utpote remotiores quā occiden-
tales & econtra: atq; sic earundem
stellarum magnitudines non eadē
ubiq; locorum apparerent. 4. Quia
numeris proportionalibus exprimi
non potest aliqua inter cælum &
terram proportio. Circuli enim sunt
ad se invicem ut diametrorum qua-
drata; & sphaera ut diametrorum
cubi. Diameter autem sphaera cœlestis
ad diametrum terræ se habet, ut
28000. ad 2. ut patet ex ijs quæ à
nobis de cœlo & stellis dictæ sunt. Hi
numeri si cubicè in se multiplicen-
tur.

tur, & major cubis per minorem
dividatur; superabitur terra à cælo
vicibus 274400000000. Qualis au-
tem est proportio inter hunc nume-
rum & unitatem?

Absolutè autem & per se consi-
derata terra satis insignem habet
quantitatem. Qvum enim comper-
tum sit, uni gradui circuli maximi
cæli respondere in terra millaria
Germanica $15\frac{5}{8}$; erit totus ambitus
terrenus milliarium 5625. Sed ob
calculi commoditatem tribuuntur
uni gradui 15. millaria, & exurgit
perimeter 5400; adeoq; diameter
(habens se ad circulum ut 7. ad 22)
 $1718\frac{2}{11}$; semidiameter 859, vel 860.
capiuntur ob calculi commoditatem.
Unde facile fuerit, & aream circuli
terrae maximi & convexitatem, tu
etiam crassitudinem seu soliditatem
explicari: ut in Geographicis doce-
bitur.

VII. Quies

VII. Quies. Terra in medio
mundi immota perpetuò quiescit.
Causa immobilitatis terre secun-
dum Aristotelem est nativa ejus
gravitas maxima, cuius ratione
terra remotissimum à cælo locum
expedit, ibiq; conquiescit; nec nisi
per violentiam inde detruditur.

Veteres autem nonnulli superio-
ra omnia stare immota, terram verò
moveri arbitrati sunt, ut Heracli-
des Ponticus, Nicæas Syracusius,
Hegesias, Aristarchus Samius, Phi-
lolans, Ecphantus, Seleucus Mathe-
maticus, &c. Quos sequutus in
recentioribus Nicolans Copernicus
Mathematicus præstantissimus; &
postea cum Alijs Guilielmus Gilber-
tus Anglus, Magneticæ Philosophiae
autor non vulgaris. Statuebat au-
tem Copernicus circa Solem in me-
dio mundi constitutum terram in

C

circu-

circulum moveri. Alij verò terram
in medio mundi collocatam assere-
bant; sed moveri circulariter circu-
arem existimabant: de quibus Pla-
to in Timaeo.

¶ At in loco suo omnino quiesce-
re terram immotam probatum ibi-
mus argumentis varijs tum sacris
omni elusione aut exceptione majo-
ribus, tum quaeratio suppeditat non
infirma. I. Primum ergo prodeat
spiritus Dei per scripturas sacrosan-
ctas terræ quietem proloquitus, nu-
ffiam per easdem motum ejusdem
insinuans.

Ecclesiastes cap. 1, 4. ait: Terra
in æternum stat. Ubi phrasiscrip-
tus stat aeternitas pro tempore bene
longo accipitur.

Psal. 104, 5. Fundavit terram
supra bases suas (vel super nihilum
Job. 26, 2.) nè moveatur inæter-
num.

num. Pagnimus & Arriemontanus vertunt equidem nuntet, Heb. timoth: At Ps. 97, 4. dicitur: terra contremuit; ubi non est dicta lingua sanctæ vox, sed vauachel. Sacra igitur Scriptura terram quiescere & non moveri assert, dictis clarioribus quam ut ad cuiusvis cerebrum flecti invertiq; possint aut debeat.

Quod si quis cum nonnullis dicat scripturam tribuentem astris motum, & terræ quietem, talia pronuniasse tantum ad captum humandum & vulgarium. Resp. 1. facilius capi posse ab intellectu humano motum exigui alicujus corporis, quam tot vastissimorum siderum. 2. Signū auctoritate eius in eloquijs divinis esse quando alibi scriptura aliter se ipsam explicat. Ubi autem dixit alibi illa, terram moveri, stare sidera? In scripturis ergo sacris, quarum

unus apex cælo & terra major est
hominem ludere pietas prohibeat.

Vulgo objectant: Lunam in sa-
eris historijs dici luminare magnū,
idq; populari sensu, non vero. Resp.
Immò verissimo. Nam 1. Magnum
est, licet alia majora: neq; enim unū
rectè negavero divitem, quia alius
ditior. 2. Respectivè, quid si infinita
astra sunt Lunā minora, acie natu-
rali non statim notabilia?

II. Si astra ipsa in cælo moventur,
ut à nobis in Uranologia & Astro-
logia evictum, quid terræ motione
opus est?

III. Si terra non quiescit; movebi-
tur motu recto vel circulari. Non
recto: quia hic est deorsum in parti-
bus terræ, adeoq; tota terra, si extra
locum suum esset constituta. At est
in loco suo. Ergo in eo quiescit. Si n.
à centro moveretur; sursum contra

NATU-

naturam suam tenderet. Nec circu-
lari. Nam unius corporis simplicis
unus tantum est motus simplex se-
cundum naturam; ut cap. 1. hujus
libri comprobatum. Terra ergo, quia
aptitudinem ad motum rectum ha-
bet, non agnoscat circularem motum
præsertim cum nec partes ejus talem
agnoſcant motum. Elementa enim
gravia tantum ad medium vel de-
orsum feruntur. Sed nec violentus in
terra motus aliquis esse potest circu-
laris: ita enim non esset diurnus.
Nec præternaturalis: Conveniret
namq; ei ratione alterius corporis.

Obvertit Copernicus 1. revolut.
cap. 8. pag. 6. b. axioma Aristoteli-
cum, Unius corporis simplicis unum
simplicem esse motum, de motu in-
primis circulari accipiendum, quā-
diu corpus simplex in loco suo natu-
rali permanerit. Verū difficulta-

sem expeditissē oportuit, quomodo
motus corpori dum in loco suo est per
naturam posset tribui. Res certè na-
turalis ad locum moventur, ut in eo
tandem quiescant.

IV. Si moveretur terra circula-
riter: in altum projecta non redirent
perpendiculariter ad locum pristinū.

Ad hoc respondet Copernicus
pag. 6. a. magnam partem aëris una-
cum terra moveri; vel quod pro-
pinquas aër terreā aqueāve ma-
teriā persixtus eamdem sequatur
naturam, quam terra; sive quod ac-
quisitius sit motus aeris, quem à
terra per contiguitatem perpetua
revolutione ac absq; resistentiā par-
ticipet.

Regerimus nos 1. Hesitare au-
torem liquet ex conjecturarum di-
versitate. 2. Et in prima conjectura
principium petit: probandum enim
fuisse

fuisset circularem motum terrae na-
turalem esse: quod ab eo passim qui-
dem adfirmatum, nusquam confir-
matum. 3. Cum terra unico agitetur
motus; corpus vero decidens duplici;
uno deorsum, altero circulari: in-
utroq; motu de celeritate sua aliquid
remittere cogitur, ideoq; terra velo-
citatem non adsequitur. neg ad per-
pendiculum decidere potest. 4. Ex
sententia Copernica, corpus simplex
decidens mixto movebitur motu,
recto nempe & circulari: quod con-
tra naturam simplicis corporis.
Quod forte animadvertis Copernicus
eo in cap. absurditatem hanc
tanquam non absurdam declinatu-
rus, absurditatibus eam quam ma-
xime cumulat. Statiuere enim non
erubescit 1. Motum circularem esse
universorum partium verò rectum.
At quomodo tum totum simulare

rectè dicetur homogeneous, si partes
ejusdem naturæ (à qua motus) cum
toto non censemuntur? 2. Circularem
naturalem esse corpori simplici, &
quidem quamdiu hoc in loco natu-
rali ac unitate suâ permanserit; re-
ctum verò supervenire ijs, quæ à lo-
co naturali suo peregrinantur, vel
extruduntur, vel quomodo libet ex-
tra ipsum sunt; immo rectum non ac-
cidere rebus nisi non rectè se haben-
tibus nego, perfectis secundum natu-
ram &c. Revivisce Stagirita, &
mirabilem percipe equipollentiam!
Dividis motum in naturalem & vio-
lentum; illum in rectum & circula-
rem. Copernico naturalis equipollit
circulari? violento rectus. Adeoq;
cum lapis deorsum rectè fertur, con-
trà naturam motus fuerit. Et si hic
motus violentius; contrarius utiq; na-
turalis, & proinde secundum natu-
ram

ram lapis vel terræ pars tendere
sursum cum Dædalo poterit. Addit
ibidem autor circularem & rectum
simul manere, nec unum sine alio
subsistere, sed ratione tantum separa-
rari, sicuti lineam, punctum & sa-
perficiem secernimus quidem, cùm
tamen unum sine alio subsistere ne-
queat. Ita videlicet uni subjecto eo-
dem tempore duo tribuentur contra-
rij motus non nisi ratione separabi-
les, naturalis & violentus. En plan-
stra absurditatum! quæ recitasse est
refutasse.

V. Ptolemaeus Alexandrinus me-
tuit, ne dissipetur terra, ubi à quiete
suâ recesserit, & nè animalia aliq;
soluta onera concutiantur. Frustra-
neum hunc metum dicit Copernicus:
eo quod à natura fluat hic motus.

R. i. Iterum petit id quod in princi-
pio. 2. Animadvertere oportuit, mo-

C 5 tum

tum maris, licet naturalis sit, navi-
gia nihil minus huc illuc impellere.
Quomodo ergo tam aquabili volvet-
tur terra motu, ut impetum num-
quam sentiamus?

Nimis igitur infelix est Coper-
nicus in refutandis veterum de im-
mobilitate terrae argumentis. In pro-
pria vero sententia adstruenda &
stabienda longè imparior est
atq; infelicitas: ut patebit.

Plura argumenta pro quiete ter-
rae comportare non libet; ut quæ ex
centri natura depromunt, aliaq; con-
similia, quæ infringi quodammodo
posse videntur.

Copernicus motum terræ his po-
tissimum suadere nititur rationibus:
I. Ex forma vel figura rotunda, quæ
ad motum apta. R. Eodem niti pos-
sunt momento, qui vel cœlo vel stellis
in immoto cœlo motum adscribunt.

II. Ex-

II. Existim it Copernicus cottidia-
na revolutionis in cælo apparentiam
esse, in terra veritatem, & hæc per-
inde se habere ac si diceret Virgilia-
nus Aeneas: Provehimur portu, ter-
ræq; urbesq; recedunt. Quoniam
fluitante tranquillitate navgio,
cuncta quæ extrinsecus sunt, ad mo-
tus illius imaginem moveri cernun-
tur à navigantibus ac vicissim se
quiescere putant cum omnibus quæ
secum sunt. Ita nimirum in motu
terra potest contingere, ut totus cir-
cuire mundus existimatetur. Repon-
deri brevibus potest: A posse ad
esse non militat consecutio. Remita
esse & se habere probandum fuisse.

III. Absurdum videtur continen-
ti sive locanti motum adscribi, &
non potius contento ac locato, terræ.
R. Nos qui astris in cælo immoto mo-
tum tribuimus, rectius hoc, quam

C 6 Coper-

Copernicus, uti possemus argumento;
Et pro astrorum motu vel maxime
militat.

Frusta ergo est Copernicus, vir
alias doctissimus, in mobilitate terræ
nobis persuadenda. Illam interim ut
hypothesin Astronomis concedimus,
non ut reale quid in Physicam intru-
dendum. Multa enim etiam plane
falsa Astronomus pro hypothesisbus
assumere potest, unde tamen satis
commodè phænomena demonstran-
tur cælestia. Ita & in Logicis ex
falso verum sequi potest, sicut & fal-
sum; ex vero autem nil nisi verum.
Hinc præfatio ad lectorem opere Co-
pernicæ præmissa in hæc verba sol-
vitur: Est Astronomi proprium,
historiam motuum cælestium dili-
genti & artificiosâ observatione col-
ligere. Deinde caussas earumdem
sciu hypotheses, cum veras assequi
nulla.

nulla ratione possit, qualescumq; ex-
cogitare & configere, quibus suppo-
sit is, ijdem motus ex Geometria & prin-
cipijs tam in futurum quam in præ-
teritum recte possint calculari. Neg^r
enim necesse est eas hypotheses esse
veras, immo nè verisimiles quidem,
sed sufficit hoc unum, si calculum
observationibus congruum exhibe-
ant. Et in fine: Neg^r quisquam, quod
ad hypotheses attinet, quicquam cer-
ti ab Astronomia exspectet, cum
ipsa nihil tale praestare queat, ne si
in alium usum conficta pro veris ar-
ripiat, stultior ab hac disciplina di-
scedat, quam accesserit.

C A P U T I V .

De Aëre. -

A Er est elementum calidum,
humidissimum, levissimum,
terrā & aquā ambiens.

C 71 Vocu-

Vocula aëris origine Græca est,
sed usu latina facta, potest autem
derivari, vel ab a, & ἥγαν, quod
aër per se sit obscurus, nisi ab astris
illustretur: vel διὸ τὸ αἴγεν, ab ele-
vando, vel extollendo, quod aër pro-
pter levitatem sursum feratur: vel
ab ἄω, id est, spiro, quod in aëre spi-
ritum ducamus, quod aër cum spiri-
tu nostro congruat.

Dari autem Elementum aëris,
manifestum est. Et si quis sacram
autoritatem postulet, adeat Ephes.
2. Ubi principis in aëre dominantis
fit mentio. Non nulli, in quibus Da-
næus, duo statuunt tantum elemen-
ta, aeris Elementum negantes, i.
quod nomine cœli in Scriptura ve-
niat: qvum tamen cœli multæ sint
significationes, licet res diverse:
plures enim sunt res, quam verba.
2. Quia putat Danæus aerem nihil
esse

esse aliud, quam aquam cœlestem
luce illustratam.

At qui noctu, quando non illu-
stratur luce, non desinit esse aers &
quum aqua mutari possit in aerem,
aer non erit aqua, sicut aqua incras-
sat a facile mutari potest in terram,
interim non est terra. Ubi enim affi-
nitatis est. ibi non identitas, quum si-
mile non sit idem.

Definitionis genus est elementū,
vel corpus naturale simplex Ergo
non corporeum quid; præsertim quū
quantitatē habeat, qualitatesq;
sensibiles, alteretur, vapores & nu-
bes contineat, respirationi inserviat.
Neq; enim invisibilitas & subtilitas
cum corporeitate pugnant.

Differentia desumpta est ex
qualitatibus præcipuis aëris. 1. Est
calor. Quod patet 1. ex raritate &
levitate. 2. Quia destruitur à frigo-

rc,

re, & condensatur in aquam. 3. Cæ-
teroqui discrimen non esset inter ae-
rem & aquam. 4. Ut calor nasci-
tur, ut quando aqua rarefacta in
aerem abit.

Est autem calor moderatus &
remissior, in quo animalia vivunt.
1. enim a cælo aer est remotior, vici-
nior tamen, quam terra vel aqua.
2. Ejus humiditas calorem obtundit,
ut summus esse nequeat. Non igitur
statuendus aer cum nonnullis cali-
dissimus Etenim in summe calido
animalia vivere non possunt. Neq;
cum Stoicis frigidissimus (sicuti Stoic-
is aer est primum frigidum) quos
alijs sequuti sunt, ut Cardanus, Bo-
dinus &c. Etenim sciendum pro re-
futandis illorum objectionibus. 1. ae-
rem in media regione non esse quali-
tate suâ purum, ob nubes, pluvias,
grandines, & alia, quæ ibi generan-
tur:

tur: sed etiam noctu, & hyeme, frigidis vaporibus est permixtus. 2.
Idem etiam de vento, qui cum aere non confundendus. 3. Aliquando quidem aerem plus justo incalescere, paulatim tamen se revocare, non ad frigus, sed calorem naturæ sua congruentem. 4. Quod cor aere refrigeretur, aut manus tangentis calidior fieri: quod aer in respectu ad cordis calorem, frigidus censeri queat, & quia purior est atq; rarior, quam fuligines ex corporibus calidis exspirantes: quæ aeris ventilatio, & ratione tenuitatis penetratio, frigi speciem præbet.

Quum ergo Galenus ait cerebrum calere magis, quam aerem, & cor indigere refrigerio aeris, non inde concludit, aer esse frigidum, quum passim aer ipsi sit temperatus. Unde medicamenta illa sunt temperata,

que

que multum aeris habent: ut oleum;
quod imbibit cujuscunq; herbae sibi
injectæ, calidae vel frigide, facul-
tatem.

2. Humiditas, & quidem summa,
majorq; quam in aqua; adeo ut
aer sit primum humidum. Nam
i. difficulter termino suo coer-
tur, melius alieno; atq; ex hac defi-
nitione propria estimanda est humi-
ditas, non exirrigatione. Aqua
enim adhuc facilius certis limitibus
includitur, quam aer interim aqua
humectationem efficit magis in sen-
sus incurrentem, quia in crassa ha-
rens materia, corpora reddit madi-
diora extrinsecus humiditas aquæ,
aer autem virtute humectandi &
tenuitate magis penetrat ad intima,
quæ aqua ob crassitatem pervenire
nequit: ut quum oleo pars inungi-
tar, oleum statim permeat, nec in su-
perfici-

perficie tantum hæret sic & cum post
motum vel calorem prodit quissiam
poris apertis in aerem, illabitur hic
pleno impetu per poros cutis. 2. Quia
aer suâ natura constitutus, nunquā
caret humiditate: quod enim quan-
doq; siccus putetur, & res exsiccare
videatur, ex accidente fit, quatenus
halitibus siccis à terra elevatis re-
fertus est. 3. Aqua citius exsiccatur,
quam oleum: ergo est minus humi-
da, quam oleum.

Falluntur ergo, qui cum Bodino
aerem siccum suâ natura statuunt:
effecta enim siccitatis, qua in aere
vident, quando humiditates resol-
vuntur, adscribi possunt calori So-
lis, vel aeris, ventis conjunctis &c.
Hinc linea madefacta ad Solem
splendentem exponuntur, ut radijs
Solis exsiccantur.

3. Levitas. Sursum enim fertur.

4. Ultio

4. Ultimis definitionis verbis aliud
accidens videlicet situs notatur, qui
est circa terræ & aquæ convexam
superficiem usq; ad concavum cœli.

Divisionem aëris quod attinet,
sciendum, aërem esse unicum con-
tinuum corpus, à terra usq; ad cœ-
lum indivisum. Deinde aërem, pro-
ut purum elementum consideratur,
non dividi in partes vel species: pro-
ut autem est impurum, & ratione
loci, usus atq; affectionum, dividi
potest. Et primo quidem veteres
nonnulli, quos postea, exrecentiori-
bus aliqui imitati sunt, dividebant
aërem insuperiorem & inferio-
rem. Superiorem vocabant totum
illum, qui est à cœlo usq; ad nubes,
vel secundum alios ad montium ca-
cumina: inferiorem, reliquum; qui
est à summitate montium ad terram
usq; quem etiam aliqui voluerunt

con-

concurrere una cum aqua & terra,
ad corpus exactè sphericum consti-
tuendum; quippe qui non ita calidus
sit, atq[ue] superior, eò quod hic conti-
nuè motu cœli circumferatur, nullis
eum montibus impedientibus aut re-
tardantibus.

Commodius ab interpretibus
Aristotelis ad illustrandam doctri-
nam Meteorologicam, dividitur aër
in tres regiones: supremam, me-
diam & infimam.

Suprema cœlo proxima (alijs
sub elemento ignis) qualitate reli-
quis est calidior, siccior (respecti-
vè, quum alias aer sit humidus) &
purior. 1. Quia est corporibus cœ-
lestibus vicinior, calorem in inferio-
ribus effectivè producentibus. 2.
Quia frigida v. g. nix pluvia &c.
ibi nō generatur, ut suo loco dicetur.
3. Sed exhalationes calidae in eam

CON-

conscendunt, unde meteora ignita
in hac regione.

Quantitate semper est eadem,
eag^s longè majori reliquis: initium
enim ejus est circa montium verti-
ces, aut etiam infra, si montes sint
altissimi, ut ad duo milliaria Germanica,
vel duo cum dimidio: inci-
pit enim suprema, ubi desinit media;
qua eo usq^s tantum porrigitur, quo-
usq^s venti, nubes & similia meteora
pertingunt. Nubes autem esse infra
altissimorum montium vertices, pe-
ritioribus manifestum est. Dubi-
tantem experimentis tam veterum,
quam recentiorum firmabimus. Te-
statur Solinus in cacumine montium
altissimorum, Olympi in Thessalia,
& Athonis in Macedonia, cineres
post sacrificia relictos nec ventis dif-
flari, nec aquis dilui. Aug. l. 3. de
Gen. ad lit. refert, eos, qui verticem

montis

montis Olympi, vel sacrificiorum
gratiâ, vel ad contemplanda sidera
conscendunt, spongiae aquâ imbutas
eò secum deferre, ut ijs simul cum
aëre (qui tenuis ibi nimium & sub-
tilis) pro refrigeratione utantur. Za-
barella testatur sibi contigisse, quod
pluribus alijs, ut ascenderet ad sum-
mitatem usq; montis Veneris omniū
altissimi in agro Patavino, ibi se
per totum diem habuisse aerem sere-
nissimum; sed infra circa medium
montis vidisse nubes, quarum inter-
iectu valles videre non potuerit; ve-
speri autem qvum de monte descen-
disset, invenisse factam eo die infe-
riore parte magnam pluviam, qvum
in montis cacumine non pluisset: un-
de intellexit se transivisse per mediā
aeris regionem, in qua factâ pluvia.
Testatur idem Porta lib. de iride &
colore, prop. 15. cum ait: Memini,

dum

dum in Hispanijs essem in Ecclesia
super montem serratum dictum, mo-
veri infra nebulas videbam, & plue-
re, quum ego in sereno cælo supra-
essem &c. Idem meipsum expertum
esse in Alpibus diffiteri non possum.
Et quis non videt ab explosis tor-
mentis bellicis multis ascendere fu-
mum, eumq[ue] paulatim licet non adeo
remotum, speciem nubis præbere?

Infima regio qualitate est cali-
da & humida. Calida 1. ob nati-
vam aeris caliditatem. 2. Ob radios
solares, qui circa terram reflexi ca-
liditatem efficiunt. 3. Alicubi etiam
propter halitus terræ & animantium.
Est autem moderatè calida & salu-
tem animantium & respirationem.

Non autem ubiq[ue], aut semper ca-
lida est hac regio. Nam 1. ob rectio-
rem radiorum incidentiam & refle-
xionem, tempore aestivo, & locis me-
ridio-

ridionalibus calidior est: contra di-
versis temporibus anni & locis ob ob-
liquam & debilem radiorum inci-
-dientiam atq; repercutsum. 2. Va-
rias sustinet alterationes ob diversi-
tatem dierum & noctium. 3. Ob va-
pores varios & meteora varia. 4. Ob
vicinitatē frigiditatis aquae & terræ.

Humida 1. Ob propriam natu-
ram. 2. Ob humidos vapores quo-
tidie ex terra & aqua exhalantes.

Quantitate aestate major est,
hyeme minor, pro cuius conditione
media regio viceversā hyeme major
est, aestate minor. Initium enim
infimae regionis est insuperficie ter-
rae: finis adeoq; initium mediæ est,
ubi radij solares resilientes in refle-
xione desinunt; quando enim ascen-
dunt, alicubi desinunt, cessatq; eo-
rum virtus. Quia verò aestate re-
ctius, h.e. ad angulos rectiores, &

D

per

per consequens vehementius incidunt radij, ideoq; rectius altiusq; resilunt. (estate enim Sol sublimis est, punctoq; nostro verticali vicinior contra hyeme) hinc astivo tempore altior est haec regio, vix tamen duo millaria continent amba regiones, infima & media.

Media regio ratione quantitatis incipit, ubi finis est infimæ definit, ubi initium supremæ, de quibus jam ante dictum.

Qualitate est humida, & ratione naturæ sua, & ratione vaporum, qui non tantum per transiunt, ut in infimâ sed diutius ibi harentes in aquam vertuntur.

Quoad qualitatem primam acti-
vam absolute loquendo, est calida, ut liquet 1. Ex aeris naturâ, ejusq; qualitatibus, raritate & levitate; non enim potest corpus esse fri-
gidissi-

gidissimum, & simili aer. 2. Ex
contactu vicinarum regionum cali-
darum. 3. Transeunt assidue per me-
diam regionem exhalationes calidæ
supremam regionem petentes. 4. Si
media aeris regio esset absolute fri-
gida vel frigidissima, calor Solis fri-
giditate extingueretur, nec ad nos
pertingeret. 5. Quomodo partes
montium, quæ in media aeris regio-
ne sunt, grama, herbas, arbores
producerent? Patet hoc experien-
tiâ. Qui enim in montibus, me-
dia in regione versantur, frigoris
alicujus insignioris laesionem non
sentunt. V. g. In exemplo ante-
citato Zabarellæ, ubi testatur se in
monte Veneris transiisse per medium
aeris regionem, nec tamen eam sen-
sisse frigidissimam, imò vix ani-
madvertisse aliquam differentiam
frigidioris aeris, ut ut pro astivitatem

D 2 poris

poris ratione esset vestitus. Est tamen debiliter calida, hoc est, respetivè frigida; cum non ita sit calida, ut reliqua regiones, ob defectum causarum majoris caloris in reliquis regionibus, de quibus causis supra. Est enim in media regione calefientium (ut radiorum reflexorum, vicinitatis cœli &c.) absentia; & refrigerantium, ut pluviae, nivis, aliorumq[ue] meteororum ejuscemodi praesentia.

Causa ergo frigiditatis hujus non est censenda cum nonnullis avulsa eis, vel frigoris constipatio, ac si media regionis frigiditas obsessa a calore superioris vel inferioris intenderetur. Nam 1. ita maximum esset illius regionis frigus. 2. Ita nullus calor ab aere superno, vel per eum ad nos perveniret. 3. Ita opereret aerem medium prius esse frigidum,

dum, postea vero per avulvēscit
augeri: non enim potest obsideri &
constipari frigus, ubi non est, atq;
ita integra Quæstio remanet, unde
illa frigiditas aeris, qui sua natura
calidus.

Manet ergo aer naturaliter ca-
lidus, licet non semper eundem gra-
dum caloris habeat; ita ut nonnun-
quam ob magnum recessum frigidus
soleat appellari. Satis est, si ma-
net intra quosdam terminos, ut pos-
sit aeris natura servari. Eos si for-
te excedat, quum nullum contrâ-
naturale sit perpetuum, in aliud Ele-
mentum immutatur, & post tem-
pus aliquod in aquam densatur, suc-
cedente in eum locum, ne detur va-
cuum, alio aere à supra vel infera
parte.

Ob hunc debilem calorem, vel
respectivam frigiditatem, regio hac

D 3 idonea

idonea est causa generationis nubium, pluviae &c. Vapor enim calidus & humidus ascendens per imam regionem, ibi à calore proportionato servatur levis & ascendit, donec ad medium regionem pertingat; ibi quia transivit à calido loco in minus calidum, vel respectivè frigidum, incipit refrigerari, condensari, in nubem verti, & iterum in aquam, & deorsum verti, sicut in distillationibus vaporess ascendentis in operculum, utut valde calidum, adeò ut manus tangentis aliquando reformidet, respectivè tamen frigidum, densatur in aquam.

Falluntur ergo, qui aeris hanc partem medium frigidissimam esse statuunt, eò quod aquam frigidum corpus generare possit, immò conge-
lationem quasi. Non enim in soli-
dum

edum condensantur vapores ab aere,
sed ab eo tantum principium con-
densationis vel congelationis acci-
piunt, postea utuntur viribus pro-
prijs, & propriâ naturâ redeunt in
aquam, cum aqua prius fuerit: atq[ue]
ita adhuc frigidorem reddunt lo-
cum illum (uti sentimus certè aerem
post casum pluvie & grandinis &c.
refrigerare) ad instar vini prius
actu frigidi à ventriculo principium
caloris accipientis, postea plus
caloris ex propriâ natura ventriculo
retribuentis.

Causas, efficientem & mate-
rialem statuimus, quemadmodum
in capite generali de Elementis di-
ctum est.

Forma est natura quedam, à
qua omnes aëris affectiones fluunt.
Finis 1. Universum hoc perficere.
2. Essē subiectum humiditatis. 3.

D 4 Essē

Esse principium mixti. 4. Variorum Meteororum sedem esse. 5. Esse medium, per quod virtus cœlestium corporum ad hæc inferiora defera-
tur. 6. Aër omnibus animatis ad-
modum necessarius est, quippe quo-
rum vita consistit in calido & hu-
mido. 7. g. frugibus necessaria est
aura benigna & blanda. Absq[ue]
hoc elemento volucres volare non
possunt, nullum animal respirare,
spiritus generare &c.

Accidentia & affectiones sunt
1. Situs. 2. Calor. 3. Humiditas.
4. Levitas, de quibus omnibus in
explicatione definitionis. 5. Tenui-
tas & indivisibilitas: hæc illam
sequitur. 6. Perspicuitas: est enim
medium per quod radijs astrorum
illustratum, ceteris tamen paribus,
res videmus. 7. Mutabilitas,
vel variabilitas, qua in nullo ele-
mento

mento alio tanta, quanta in hoc. Mo-
do enim magis. modo minus calet,
& quasi friget: modo humidum ma-
gis est vel minus, modo aër est cras-
sus, purus, salubris: modo econtra.
Et cum aqua possit esse modo calida,
modo frigida; adhuc magis versati-
lis naturæ est aëris: adeò ut sub con-
trarijs quasi qualitatibus videatur
existere, substantiali formâ serva-
ta. Unde Aristot. lib. 1. Physic.
dixit: Comparatione aliorum Ele-
mentorum convenientius aërem
statui primam rerum materiam,
quam aquam. Est autem aëris tam
varijs alterationibus obnoxius. 1.
Pro accessu & recessu Solis. 2. Ra-
tione ventorum, qui varijs qualita-
tibus nonnunquam prædicti aërem
inficiunt. 3. Ratione halitus exter-
ra & aqua. Quoad Solis accessum
& recessum, liquet secundum qua-

D 5 tuor

tuor anni tempora aërem valde mu-
tari atq; alterari , atq; ab aëre hu-
mana corpora : adeò ut singulis an-
ni partibus certi quidam sint morbi
proprij & pluribus . hominibus com-
munes.

3. **Mobilitas & motus.** Est
corpus valde mobile & fluidum , ut
facilimè agitetur , alijs corporibus
cedat aut succedat , & quidem ci-
tissimè , ac quasi in momento . Mo-
tus autem aëri competit 1. natura-
liter , Rectus sursum , ob levitatem .
2. Ex varijs accidentibus , ut haliti-
bus , ventis , meteoris quibuscunq;
motis ; cùm nihil moveatur in aëre ,
quod non eum statim secum commo-
veat .

Præterea tribuunt pleriq; aeri
motum circularem , quo unâ cum
cælo vel corporibus cælestibus cir-
cumgyretur , Cæterum primò fal-
sum

sum est, si quis de aere hoc univer-
saliter affirmet. Aer enim hic
infimus multis in locis conclusus
quiescit, nec movetur motu circu-
lari. Sic in media regione videre
est, nubes interdum totas immotas
consistere, vel secundum partem
tantum moveri, vel a ventis contra-
rio ferri motu, quod non fieret, se-
celi motus ibi esset sensibilis. Ve-
risimile est ergo, supremam aeris re-
gionem vel nullum, vel valde obscu-
rum talem habere motum. Quod
si quis sit, is tamen calorem aeris
non efficit; cum calor fiat per mo-
tum, non nisi vehementer & velo-
cem, & quidem in solidioribus atque
durieribus corporibus.

9. Accidit aeri aliquando Putre-
do analogicè ita dicta, sicut mixtio
in Elementis est analogica, ut aer
non sit sincerus, purus & salubris.

D o Licet

Licet enim secundum Aristotelem
in Problem. aer non putrescat vera
putredine: varie tamen alteratur,
& veluti corruptitur, atq; per simi-
litudinem putrescit.

I. Ob privationem debiti mo-
tus & ventilationis, hunc aer con-
clusus & immotus corruptitur, &
nonnunquam pestilens fit, recen-
tis aura perflatu destitutus, sicut
aqua putrescit, cum immota alicubi
consistens influendi & effluendi vi-
cissitudine caret. Talis aer in spir-
atione attractus plurimum obest. V.
g. Si in terra cavernis undiq; con-
clusis diu delituit. Item in adib;,
quarum fenestræ diu fuerunt occlu-
sa. Hinc Aristoteles sectionibus
Problem. 13. & 14, querens, quare
habitantes in locis concavis citius
senescat, respondet, quia in hujus-
modi locis aer conclusus & immotus

MB=1-

manens, putrefieri citius corpora
facit. Licet enim in locis concavis
moveatur quidem aliquantis per
aer, non tamen motu satis liberos
ideoq; non satis renovatur; & con-
sequenter putredini magnam occa-
sionem præbet. Sic viceversâ que-
rens ibidem Philosophus, cur, qui
habitant in locis apertis & elevatis,
tardiùs senescant, respondet, quia
aer ibi continuè renovatur, & ven-
tilatur à ventis, ut nec ipse putre-
dine contaminetur, nec alias res pu-
trescere faciat.

2. Ob admixtionem halituum
qualitate, vel manifestâ vel oc-
cultâ & venenata. Hinc non
nunquam densiores & tepidiores
fuligines in aerem exhalantes è pa-
ludibus, stagnis, mari, animalibus
corruptis & putridis, multitudine
cadaverum, cloacis, corruptis fru-

D7 gibis,

gibus, oleribus, leguminibus, putrido fimo, item è terra cavernis, ut ex metallifodinis, aut post terrae mortum, casus montium & camporum &c. aerem putridum efficiunt, contagiosum, & pestilentem nonnunquam, adeò ut volucres in aere interemptæ decidant, & inclusus talis aer in literis, libris, vestibus &c. adeoq; cum ijs alio delatus aerem hominesque inficiat. Exempla enim testantur multos infectos esse per litteras, libros, vestes &c. Sic multis in locis scrobes & specus spiritum exhalant adeò venenatum, ut ejus haustu animalia quævis interimantur, & volucres supervolitantes examinatae decidant.

Quod vero ex aliquo aere noxio vel infecto inspirato aliquando volucres tantum moriantur, aliquando etiam animalia alia præter hominem

hominem, aliquando homines quoque, & in hominibus hic magis quam ille, & quidam planè non. Causa est temperamenti vel dispositionis inæqualitas & dissimilitudo. Ad actionem enim requiritur non tantum efficientis præsentia, verum maximè patientiæ dispositio. Itaq; tempore pestis v. g. in hominibus. cùm non omnia corpora sint disposita ad pestem, hoc est, scateant obstructionibus aut excrementis ad putredinem paratis, occultâ aliqua dispositione ad hoc occultum venenum hauriendum, certè neque omnia pestem concipient. Sic non tūm in individuis humanis hæc diversitas conspicitur, sed etiam in speciebus diversis ut pestilens contagio sua speciei sit communis & familiaris potius, quam alteri aut diverse: ut hominum pestiferorum.

cada-

eadavera hominibus magis nocent,
equorum equis &c. Sic sapè conspi-
citur, pestem pecora devastare, fru-
ges, arbores aut alias viventium
species, reliquis superstibus ma-
nentibus.

3. Ob siderum non nullorum
influentiam aër manifestis quali-
tibus ad pestem disponi potest,
ut recte statuunt Hippocrates, Ga-
lenus & Avicenna; dum aeris tem-
peratura à statu naturali ad cali-
ditatem & humiditatem nimiam
convertitur, adeoq; putreficit, & in
corporibus nostris humiditates au-
get atq; putredinem. Hinc Gale-
nus, ait, temperamentum aeris pes-
simum esse calidum & humidum,
scilicet præternaturale & pravum.
Interim non negamus, citra manife-
stam causam, citra aeris putredi-
nem.

nem &c. aliquando solo influxu & virtute occultâ astrorum aeri mutationem adferri pestiferam, quod probavimus abundè in Problem. Philosophicis & Medicis exerc. 4.
Problem. 2. Hanc mutationem, que non ex manifestis qualitatibus oritur dicit sed cœlesti influxu, Medici vocant totius substantiae mutationem & alterationem, ut sit in aere, sicut in alimentis, aliquando qualitas aliqua familiaris spiritibus, alia verò aliena & corruptrix.

Itaque conclusionis loco notent sanitatis studiosi, aerem saluberri-
mum pro boni temperamenti homi-
nibus esse eligendum illum, qui totâ
sua substantia purus, nitidus, te-
nuis, patens & liber, nullis inqui-
namentis obitus, nulla putredine
affe-

effectus; nullo tetro vapore, uligine,
crasitie, aut corruptelâ perfusus,
qui levibus & suaviter spirantibus
ventis diffatus undiq; agitetur, &
serenitate multâ redundans spiritu-
s nos tristis recreet; qui neq; depre-
sus humi torpeat, neq; nimis excelsus
pluvij aut ventis omni tempore
saeviat. Ita mille modis sanitati in-
serviet: qualitate calorem nostrum
attemperabit, substantiam spiritus
allet, motu atq; impetu ventilabit
flabellabitq; calorem, & separabit
fuligines: econtra spiritus nostros
corrumpet aer. 1. Si plenus fuerit
pravis vaporibus. 2. Motu orba-
tus, nec diffatus. 3. Immodicè ali-
qua qualitate prima peccans. 4.
Corruptus, putridus, venenatus
&c.

CAP.

CAP. V. & ultimum.

De Igni.

Huius consideratio statim aeris
subjungitur i. quia communiter Philosophi naturales statuunt
ignem elementum quoddam pecu-
liare esse supra aerem inter cælum
videlicet & aerem, mole amplissi-
mum, qualitate calidissimum, sic-
cissimum, levissimum, tenuissimum,
longè subtilius & purius acris
suprema regione, minus tamen
quam cælum in orbem mobile unum
cum cælo ob vicinitatem, sursum
autem mobile, etiam supra omnem
aerem, si extra locum suum natu-
ralem forte constiterit. De qua
sententia utut vulgatissimâ, & ma-
gnis etiam Philosophis aridente,
quid exactiori rationis trutinâ esti-

MAR.

mandum, declaravimus capite de
Elementis in genere. 2. Quia aer,
quando ignitur, hoc est summe in-
calescit, ignis potissimum appellari
potest. 3. Et ignis aere varijs de-
causis indiget, ut infra dicetur.
Alioquin quia impuritas & mix-
tio aliqua est in igni, de eo in doctri-
na etiam mixtorum corporum insti-
tui posset tractatio.

Ignis nihil aliud est, quam
corpus aliquod incensum: qui
incensione durante, durat ignis;
sublatâ, desinit esse ignis.

Et hec prima est significatio vo-
cabuli Ignis. 2. Sumitur pro pecu-
liari aliquo elemento supremo, ut
modo dictum. 3. Pro cælo. 4. Pro
astris, ut, Sole &c. 5. Prosuprema
aeris regione. 6. Pro calore intensi-
mo, vel excessu caloris, ut Aristotelii
lib. i. Meteor. c. 3. & 3. de gen. &

CORRU-

de corruptione c. 3. Atq; hactenus
significationes Philosophicae. Theo-
logicæ itidem sex sunt. Sumitur
n. 1. pro spiritu Domini vel donis
ejus, ut Luc. 3. v. 16. Ipse Bapti-
zabit Spiritu Sancto & igni. 2. Pro
ira Dei, vel Declarato, ut & ipse
Deus dicatur ignis consumens.
Deut. 4. & 32. Psal. 89. Esa. 66.
Ebr. 12. 3. Pro re quavis noxia &
calamitosa, ut Psal. 66. Transi-
vimus per ignem & aquam. Et
Esa. 43. dicitur, quod Deus ex igne
suos sit liberaturus. 4. Pro explo-
ratione & mundatione, ut Psal. 17.
Igne me examinasti. Sic 1. ad Cor. 3.
5. Pro fulguribus & fulminibus, ut
Exod. 9. 6. Pro igni infernali &
inextinguibili, atq; cruciatu sem-
piterno, ut Matth. 3. & 25. &
alibi.

Divi-

Dividitur Ignis i. ratione loci
in supra terraneum & subterra-
neum. Ille dicitur focalis, culi-
naris, usualis &c. & extra terra
cavernas generatur.

Subterraneus est, qui intra-
terræ cavernas producitur. I-
gnem enim subterraneum dari, &
per terræ cavitates undique diffusum
esse, liquet ex thermis, & ijs, qua-
de Thermis alibi diximus, tum ma-
nifestius ex ipsis fumis & flammis,
quas terra passim eructat, ut in
monte Hecla Islandia, Ætna Sici-
lia, in monte Vesuvio Campania,
cujus è propinquiori loco contem-
plandi studio Plinius fumo & flam-
mis suffocatus est: ut de eo Nepos
ex sorore Plinius Junior scripsit lib.
6. Epist. Plurima alia exempla
videantur apud Agricolam lib. 2.

de

de ortu & causis subterraneorum
& lib. 4. de natura eorum, quæ ef-
fluunt ex terra.

Causa Efficiens ignis hujus sub-
terranei, vel vis accendens ignem
illum, non est Solis aut aliorum astro-
rum per radios actio: radij enim so-
lares materiam aptam etiam aeri ex-
positam non incendunt, nisi repercussis
sed accenditur ignis & inflamma-
tur, ab exhalatione seu spiritu ca-
vernus inclusus; dum hic vel antipe-
ristasi frigoris cogitur in locorum
angustias, vel hac illac exitum qua-
rit, adeoque attritu & conflictu ex-
ardescit. Ubi vero illi occurrit
materia, quæ facile accenditur, &
ignem pascit, crescit flamma. Unde
incalcent aquæ seu thermæ, ut
alibi monstratum.

Materia est sulphur & bitu-
men.

men (interim licet difficilius, ta-
men tandem eodem incendio invol-
vuntur saxa & res aliae) nam 1.
hac duo facilius ignem concipiunt
ob pinguitudinem. 2. Loca incen-
dijs flagrantia deprehenduntur esse
sulphurea, aut bituminosa, aut
mixta. In ijs autem ignibus vi-
detur bitumen primas tenere, qui
aluntur aquis v. g. fluvijs. Ut
ignis montis Chimera ardentis, qui
accenditur aqua, extinguitur ter-
ra & fano &c. 3. Loca sulphurosa
& bituminosa accensa mox ardent.
Ut in Campania, si candens carbo
deciderit in subjecta Aricia arva,
ardet terra. Sic tempore Maxi-
miliani in Styria ad Ebisvaldam,
quum pastores in exelsa salice ignem
autumni tempore instruxissent, ter-
ra ardere capit, & serpente longius
incendio, prata flagrarunt: sed

inco-

incolæ multâ terrâ ingestâ extinxerunt.

Quomodo autem perpetuò durare queat materia vel fomes pro igni subterraneo, alibi à nobis de thermis est declaratum.

Modi varij sunt & formæ ignium vel locorum terræ ardentiū.

1. Quidam intra specus latent, nec se produnt, sed terræ visera atq; medullas occultè exedunt, & rui-
nas postea edunt; alij foras emi-
cant.

2. Quidam nullam materiam, in agros aut campos adjacentes evo-
munt: alij ob spiritum adjunctum
vehementiorem cineres, arenam,
sulphur, pumices, saxa, massas quasi
ferreas, aliasq; materias foras proij-
ciunt, non sine regionis adjacentis
E detri-

detrimento; tenebras offundunt; lu-
cem eripiunt, &c.

3. Quædam incendia tam noctu-
quàm interdiu spectantur: alia no-
ctu tantum; quòd Solis luce majori
visus detineatur, ut in monte quo-
dam inter Bononiam & Florentio-
lam. Sic in Cilicia ad Argum
montem campis ad multa stadia
esse fossas ardentes, & quibusdam
in locis ex solo palustri noctu flam-
mas emicare Strabo autore est.

4. Quædam loca perpetuò ar-
adent: alia per intervalla. pleraq;
nonnihil ad tempus remittunt ob-
fomitis inopiam, viarum obstructio-
nes, &c. deinde resumptis viribus
exardescunt. 5. Quidam ignes
eminenteribus duntaxat terra par-
tibus & superficie harent, quidam
in profundo. Alij incendia movent

ix

in montium summitatibus, alijs ad
radices montium, alijs in vallibus,
in campus & planicie: nam campus
Babylonie flagrat quadam veluti
piscinâ, jugeri magnitudine. Et
teste Agricola, in Misnia ad Mul-
dam fluvium toto ferè illo campestri
tractu, qui est inter Zuiccam &
Glaucam oppida, ardentes vapo-
res noctu emittuntur, & flamma
modò dispersæ stellarum instar ni-
tent, modò quasi in manipulum
colligatae emicant alio atque alio
loco.

Secunda divisio. Ignis vel est
carbo vel flamma. Carbo est
ignis flammæ expers, in quo plus
terræ est, quam aëris: ex cuius
tamen attenuatione facile flam-
ma gigni potest.

E 2

Flam

Flamma plus subtilioris substantiae & aëris agnoscit. Estq; vel visibilis, vel invisibilis. Invisibilis potest esse aëris solus ignitus, non apparente flammā, igni ramen visibili vicinus. V.g. Ignis ille, quo assantur carnes inverubus & tandem comburuntur: non enim tanguntur ab igne, quem videmus, sed aëre vicino attenuato, excalefacto & ignito.

Visibilis communiter flamma dicitur, estq; incensio aëris & fumi crassioris ex re adusta ascendentis. Atq; ita in flamma magis dominatur aëris quam terra.

Affectiones flammæ sunt. I.
Figura pyramidalis, in quam asurgit. Es enim circa materiam, accensam flamma est latior ampliorq; ob pabulum ignis copiosius & crassius;

crassius: crassior enim & gravior
natura subtus residet in ima parte,
ubi plus humoris: nam in flamma
est plurimum humoris. Attenua-
tur autem & acuminatur flamma
circa summam ob causam contra-
riam, & tandem planè desinit.

2. Crassitiei & tenuitatis di-
versitas, pro diversitate materiae.
Densior flamma est in crassiori pa-
bulo: ut in lignis viridibus & hu-
midis. Tenuior in subtilieri: ut
in spiritu vini, alijsq. spiritibus
chymicè extractis, adeò ut nonnun-
quam flamma videri vix queat.

3. Coloris diversitas sequitur
crassitiem & tenuitatem. Ubi
enim multum est partium terre-
strium, ibi flamma rubet: ubi mul-
tum aquæ est in materia ardenti,
ibi cærulea est flamma: ubi mate-

E 3. ria

ria arida est, subtilis, plurimumq;
aëris continens, ibi flamma alba.

4. Diversitas motus flammæ
est pro diversitate pabuli in pingui-
tudine.

Hactenus divisiones. Sequn-
tur causæ ignis potissimum usua-
lis.

Causa Efficiens vel est gene-
rans vel conservans. Genera-
tur ignis 1. Attritione & concus-
sione. U. g. aëris inter silicem &
chalybem. 2. Propagatione:
quando succedit ex uno loco in
alium, vel quando unus ignis ab
alio accenditur. 3. Caloris auctu-
& intensione: ut in fæno, strami-
ne vel alijs consimilibus humidis
putrescentibus. 4. Coitione: ut,
quum radij solares in specula con-
cava incidentes coeunt, & conjun-
cti

cti reflectuntur, adeoq; augentur,
ut incendant corpora opposita. Quo
artificio Archimedes & Proclus
hostium naves instar fulminis missis
igni incenderunt.

Conservans est aër, ejusq;
ventilatio. Aëre autem pro ignis
conservatione opus est. 1. Ut illud
quod rarefit (rarefit autem quic-
quid ex pabulo converti potest in
ignem) majorem occupet locum in
aëre libero, in eoque flamma sel-
berè explicet, & exhalationes ma-
teria rarefactæ atq; in ignem non
cedentis liberè diffundantur, ex-
spuanturq; ignis excrementa fumo-
sa & fuliginosa ipsius nutritionē
officiantia. 2. Pro parte pabulo
ignis, quod non tantum est ex ma-
teria densiori succensā, sed vicino
aëre etiam quem lambit ignis, quoq;
fove-

fovetur. 3. Ventilatio vel agitatio
moderata aëris utilis est 1, ut aër af-
flatus, inq; interiora ignis receptus
in ignem convertatur. 2. Ut post
flammam extinctam ad carbonem
remanentem illis incendatur,
flammamq; resuscitet. 3. Ut flam-
mam dilatet augeatque. 4. Quia
aër frigidiusculus volatilem & er-
rabundam ignei caloris vim intro-
adigit, atque à dissipatione tuetur.
Oportet autem frigus ambientis cor-
poris moderatum esse, ne igni con-
trarietatis vehementia noceat. Nam
moderata ventilatio sopitum ignem
exsuscitat augetq; nimia in perni-
ciem rapit.

Ex hisce de aëre explicatis
liquent varia dubia. Etenim
hinc ignis extinguitur, si vel lo-
co aliquo conclusus sit, aëre carente
libero,

libero, immò in quolibet vase ignem
continente, si obturetur orificium,
vel aëre crassis fumis undique obdu-
cto: minùs autem officium facit
ignis aëre turbido, nebuloso & plu-
vioso, quippe ad naturam aqua at-
cedente; unde non satis blandè fo-
vetur. Hinc duo ignes in propin-
quo juxta se structi, se invicem
impediunt. Hinc ignis ad Solis ra-
dios structus minùs efficax est,
quam in loco à Solis radijs remotio-
ri: nam Solis calor igneum dissipat
& dispergit.

Cause Efficienti adversatur
corrumpens. Corrumptur enim
ignis passim secundum Aristotelem
dupliciter. 1. Maegivod seu marco-
re, deficiente pabulo vel materia
combustibili. 2. Σβέοτ; extinctione
à contrario, ut nimiâ humoris affu-
sione.

ſione. Addimus nos plures mo-
dos. Ut: 3. Copia nimia pabuli,
quā obrui potest ignis. 4. Priva-
tione eventationis. 5. Nimia ven-
tilatione & flatu, vehementiā
ignem dissipante. Et tot modis
etiam corrumpi vel interire potest
calidum nativum in homine.

Materiam vel pabulum ignis
etiam requirit, quo nutriatur &
crescat, non more viventium, sed
analogicè loquendo, hoc est, mate-
riam combustibilem in substantiam
ſibi similem convertat, & in eadem
propagetur.

Pabulum illud est materia
quæcunq; comburi potest. Qua-
dam enim vel difficilimè, vel planè
non comburi possunt ab igne, ut ci-
nis, lapis amiantus, aurum, gra-
natus, & Pirimachus lapides, py-
raustæ

rausta animalculum in igne vivens
(de Salamandra enim , quod igni
non comburatur, falsum est : primo
enim tactu ob frigiditatem & hu-
miditatem ignem extinguit ; lon-
giore autem morâ in igne tandem
absunitur) Sic datur oleum quod-
dam incombustibile ; quo si res ali-
qua tingatur, non cumberetur ignis
quo si quis pro lychno utatur , per-
petuo durat . Et inventæ dicun-
tur in sepulchris tales lucerne no-
stro saeculo oleo plene , ardentes ab
aliquot centenis annis .

Commodius alimentum pro
igni est aëreum , deinde terreum ,
minime aqueum . Hinc ligna
arida citò inflammantur , tardius
viridia . Hinc minus ab aqua ma-
rina , quippe pinguiori , crassiori ,
terrestriori , extinguitur ignis , quam
ab alia .

E 6

Fi-

Finis, usus, & effecta sunt;
calefacere, siccare, coquere, re-
solvere, sudorem mouere &c.
Nimius vero ignis vel calor sudor-
em impedit (moderatus evocat)
quia sudoris materiam consumit,
dum humore in spiritum dissoluto,
corpus exsiccat.

Item. Ignis calor vicem sæ-
piissimè sustinet nativi caloris &
coelestis: Illius: ut in excludendis
pullis in fornacibus Ægyptijs: hujus:
ut in metallis transmutandis & ge-
nerandis.

Affectiones ignis sunt. I. Ul-
tere & lucere, videlicet, si est in
materia densa & in densiori ma-
gis urit lucetq; minus in tenuiori,
in valde tenui vix urit aut lucet.
V.g. Ignis in ferro validissimus est,
& intense lucet ob densitatem: in
ligno

ligno minus: imbecillior est in lana:
tum in papyro nostrate hac. In
aqua vite ardente adeo tenuis, ut
eā madefactum linteum illasum re-
linquat: quamvis praeminentiori ra-
tione vinum adustum non exurat
linteum: quia madefit aquā con-
junctā, qua illud praeservat ab in-
cendio. Ita enim & patina stan-
næ aquā plenæ igni apposita non
liquantur, nec sartagines plumbeæ,
aquā ex qua sal coquitur, plenæ
ingenti igni supposito. Interim
manifestum est subtilem aliquando
adeo flamمام dari, ut & vix vi-
deatur, & vix tactu sentiatur.

Urit autem ignis semper & com-
burit rem adustam. 1. Si est justa
proportio inter agens & patiens, de-
bitaq; quantitas. 2. Si materia est
combustibilis. 3. Si justa adest mo-

E 71

7A.

ra. 4. Et contactus non nimis magna distantia.

Adeo ut semper ignis habeat facultatem urendi, vel actum primum; non semper actum secundum, vel actionem urendi. Hec enim impediri potest. 1. ob nimiam distantiam. 2. Ob moræ privationem. 3. Ob improportionem inter urens & urendum. 4. Si materia est incombustibilis, aut tali incombustibili delibuta. V.g. inungi possunt manus & aliæ corporis partes, ut impunè contredent ferrum ignitum, plumbum liquefactum, &c. Et dolores ne sentiant, qui urendi sunt, varia medicamina prescribi possunt, varia medicamina prescribi possunt: qualia plurima revelavimus in tractatu nostro medico & chirurgico de Cauterijis. 5. Miraculose

culosè à Deo : ut in cornace Baby-
lonica.

2. Non putrescere. Ad illud
enim quod putrescit , fieri debet ac-
cessio majoris caliditatis & humi-
ditatis.

3. Habere facultatem gene-
randi, adeò ut in igni etiam animal-
cula generari , vivere & conservari
queant. Nam 1. testatur hoc hi-
storia Pirauistarum apud Aristotelem & Plin. quæ bestiolæ in Cypri
ærarijs fornacibus in medio igni na-
scuntur pennatae , muscis grandibus
paulò maiores , quæ per ignem sali-
unt & ambulant , ab igni vero re-
motæ emoriuntur. 2. Si in humili-
dissima & frigidissima materia pi-
sces generantur , extra quam positi
moriuntur ; si in nive , ut testatur

Arist.

Arist. generantur vermes, qui à
nive remoti similiter mox emoriun-
tur: quid prohibebit aliquid gene-
rari in loco calidissimo & siccissimo?

Historiam ergo Piraustarum qui
ceu fabulam rident, fa-
bulæ illi ipsi.



I N -



INDEX CAPITUM

Cap. I. De corpore simplici
in genere.

Cap. II. De Elementis in
genere.

Cap. III. De Terra.

Cap. IV. De Aere.

Cap. V. & ultimum De Igni.

FINIS.





RostochI

*Typis JOACHIMI PEDANI,
Acad. Typog.*

A N N O

M. DC. XIX.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn730118207/phys_0125](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn730118207/phys_0125)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730118207/phys_0127](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730118207/phys_0127)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn730118207/phys_0128](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn730118207/phys_0128)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730118207/phys_0129](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730118207/phys_0129)

DFG

Litteraria secreta
Scribentis et char-
gacunt.

materie & salis in hum
pta ad calculum. Deb
inter salis quantitatēs
Hujus tanta esse debet
ne sal illi unitū solvi pe
fatiscat, & pulveris in
portione servata, qu
stū materia, eò mag
ratur. Ejusmodi in
alimentis crassis & te
induratis, vino crasso
habente, cerevisia fu
omnia alibi uberioris.

An. Boëtius. Causæ p
salis naturam sunt 1.
civis imbecillitas, 2 si
utraq; composita int
pue, ut ex hactenus
occulta calculosa
aria à pa



the scale towards document

teria
ortio
riam.
diat,
terra
à pro
terre-
indu-
rur ex
fumo
ritatis
c. que
uetur
præter
pulveri-
vel ex
præci-
ffpositio
di-

I N-